



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Philippi Servii E Societate Iesv Amicus Fidelis Vsque Ad
Mortem: Sive Modvs Ivvandi Moribvndos, Ægris, Sanisqve
Perinde Vtilis**

Servius, Philippe

Leodii, 1648

Proloqvivm. Philaretvs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60032)

Sacramentorum Pœnitentiæ, Communionis & Extremæ Vnctionis administratione accidere solent. Quia verò ab alijs potiùs quàm à me, Resolutiones proficiscentur, Philareti nomen tantisper assumam, & Amici fidelis interrogationibus aliorum potiùs quàm meo nomine respondebo.

PROLOQVIVM.

PHILARETVS.

Quid mihi auctor es, Amice mi, an ut hîc subsistam? & quæ prolixè satis hætenus dicta sunt in moribundorum gratiam, maiore cum otio expendenda tibi relinquam?

AMICVS FIDELIS. Caue amabo, Philarete, caue stadio pedem ante efferas quàm ad metam perueneris: Superfunt conscientiarum nodi non pauci, ijque plusquam Gordiani, qui, non Alexandri gladio, sed acutiore ingenij tui acie dissoluendi sunt. De moribundis adiuuandis telam bellè orditus es, ea nimirum pertexenda est. Ego, rudis licet in hac arte, dubiorum
licia

licia subinde suggeram, quæ tu, vel
perspicuitatis radio illustres, vel dis-
cretionis pectine discrimines.

PHIL. Videtis ne licia tua, Stagi-
ritæ lycea, aut Palladistextrinam plus
æquo redoleant: rem ipsam, non ver-
borum ampullas amant Theologi mo-
rales; proinde, si me audies, altos il-
los dictionis cothurnos exues, soccos-
que humiliores indutus, ad rem quam
paras, de plano aggredieris.

AMICVS FID. Quando ita vis iu-
besvè, non modò soccos, sed & popu-
larem penulam induo.

R CAPVT

